

locum habeat vacatio Præbendarum, atque devotio potestatis eadem conferendi ad Superiorem. Ubi sciendum, quod Ecclesie non numeratæ dicantur illæ, in quibus non est præfixus certus numerus Canonicorum, vel Præbendarum. Abbas c. Ex parte Astenfis. 10. num. 1. h. t. Sicut econtra Ecclesie numeratæ appellantur, in quibus adest determinatus numerus Canonicatum, atque Præbendarum. Quo prænotato,

45 Resp. I. In Ecclesiis non numeratis vacatio Præbendarum, seu Canonicatum, possibilis non est: atque idcirco ibi non fit devolutio collationis ad Superiorem ex negligentia semeltri in non providendo Ecclesie de Ministris. Ita textus notabilis in c. DD. ibid. Accedit ratio: quia vacatio dicitur respectu existentie, & numeri; hoc est, quia non existunt tot v. g. Canonicatus, quot juxta taxatum numerum existere deberent. Abbas c. Dilecto. num. 9. de Præbend. Unde consequens est, quod in Ecclesia non numerata nunquam dari possit vacatio, hoc ipso, quod certus numerus v. g. Canonicatum non sit præfixus: sique ulterius consequens est, quod in eisdem nec deest devolutio potestatis conferendi Beneficia vacantia, de qua fit sermo in c. Nulla. 2. h. t. atque notat Pontifex in cit. c. Ex parte Astenfis. eod. Et hinc in c. Dilecto. 25. §. Præced. de Præbend. dicitur, quod in Ecclesia, in qua non est certus numerus Præbendarum, & in Canonicis quis assumitur, is intelligatur ad quoddam jus eligi, quod ex electorum assensu de novo creatur, vel cum electo in Canonicum nascitur, & definit cum defuncto. Ubi ponderando ly, definit cum defuncto, clarè desumitur, quod mortuo tali Canonicò propriè non vacet Canonicatus ipsius, sed potius extinguatur, seu desinat cum defuncto: ut proinde non mirum, in tali casu non sit locus devolutioni ad Superiorem, propter negligentiam conferendi intra semestre: nam Concilium Lateranense relatum c. Nulla. 2. h. t. & talem devolutionem statuens; loquitur de vera vacatione Beneficiorum.

46 Resp. II. Nihilominus, si in Ecclesia non numerata Canonici sint negligentes in statuendo novos Canonicos juxta facultates & consuetudinem illius Ecclesie; tunc Superior immediatus statuatur terminum ei, ad quem spectat institutio, ut infra ipsum providet Ecclesie secundum consuetudinem ejusdem Ecclesie; quod si is non fecerit, ipsemet Superior providebit. Ita Abbas cit. c. ex parte Astenfis. n. 15. & Vivianus in Rational. ibid. §. 2. h. t. Pirhing eod. n. 42. & communis. Idque desumitur partim ex cap. 1. de Institut. ubi numerus Clericorum jubetur institui in Ecclesiis secundum harum facultates. Tum ex c. Irrefragabili. 13. §. Excessus. de Offic. Ordinar. & c. Cæterum. 5. junctâ Glossâ fin. de Judiciis, ubi negligente Ordinario transfertur jurisdictione ad Superiorem.

47 Quæritur III. Utrum Collator ordinarius, seu habens potestatem conferendi, possit alteri tradere potestatem conferendi Beneficium vacans, vel proximè vacaturum? Resp. I. Collator ordinarius, si habens potestatem conferendi Beneficia, non potest de jure alteri tradere, seu delegare potestatem conferendi primum Beneficium, quod vacabit. Ita textus in c. Constitutus. 11. §. fin. & Glossâ ibid. §. In fraudem. & Abbas in Summario, & num. 5. & Vivianus in Rational. h. t. & Pirhing eod. n. 9. Ratio est: quia concessio potestatis conferendi ita individuat, & determinat ad Beneficium proximè vacaturum, fieri possit in fraudem Canonice Sanctionis, per quam prohibetur Ecclesiastica beneficia concedi, siue promitti, antequam vacent; prout loquitur Pontifex in cit. c. Constitutus. h. t. Nam, ut declarat Abbas ibid.

num. 3. volens Titio amico suo promittere Beneficium vacaturum, donaret alteri amico suo potestatem conferendi Beneficium primum vacaturum; & sic Titius esset quodammodo tutor indirectè de concessione beneficii, sibi ab altero amico suo conferendi; atque subintraret votum captandæ mortis proximi, ut citius beneficium consequi valeret, contra Sanctionem Concilii Lateranensis, in c. Nulla. 2. h. t. relati. Cum igitur malitia, & fraudibus hominum, non sit indulgendum, c. Sedes. 15. de Rescript. & l. In fundo. ff. de Rei vendicat. cum similibus; atque nota sit Reg. 84. Jur. in 6. Cum quid unâ viâ prohibetur aliter, ad id aliâ non debet admitti: merito talis concessio potestatis conferendi proximè vacaturum Beneficium, reprobatâ a Jure, ut supra.

Nec obstat, quod in cit. c. Constitutus. §. Quocirca. 48. ca. h. t. Papa confirmaverit, atque servari mandaverit collationem Beneficij proximè vacaturum, quam Canonicus H. cui Episcopus dederat potestatem conferendi Præbendam Sacerdotalem primò ibidem vacaturam, duxerit canonicè faciendam. Resp. enim, præstatum Mandatum Apostolicum gratiam continere personam; prout loquitur Pontifex ibid. §. fin. quam proinde Pontifex noluit alius concedi, neque ad consequentiam trahi: idque ad evitandam fraudem erga Canonicas Sanctiones de non promittendis Beneficiis necdum vacantibus; prout liquet ex litera cit. cap. Constitutus. §. fin. h. t.

Atque data Conclusio ampliat ad potestatem ad præsentandum ad Beneficium primò vacaturum. Sic ut enim Patronus non potest promittere, se præsentaturum aliquem ad beneficium vacaturum; ita nec potest dare aliquid potestatem præsentandi ad beneficium in specie, antequam vacet: & si factus fiat, non tenet. Textus est in cap. ult. h. t. ubi Abbas in Summario & num. 6. & Vivianus ibid. & Barbosa in Collectan. n. 1. citans alios. Ratio est, quæ supra: quia etiam hic indirectè fieret, aut fieri posset promissio Beneficij primò vacaturi, contra sæpè dictum Concilium Lateranense, c. Nulla. 2. h. t. relatum.

Resp. II. Potest nihilominus Collator ordinarius, seu ille, qui habet potestatem conferendi; delegare, seu tradere alteri potestatem conferendi certum Beneficium jam vacans. Ita Glossâ c. Deliberatione, §. Cuiusque. de Offic. Legat. in 6. & Abbas in d. c. Constitutus. num. 5. h. t. Pirhing eod. nu. 9. & alii. Idque argumento à sensu contrario, desumitur ex textu cit. c. Constitutus. §. fin. ibi: Promitti, antequam vacent. Accedit ratio: tum quia tunc cessat fraus, Concilio Lateranensi inferenda; eò quod beneficium jam vacet, sique locum habere nequeat votum captandæ mortis proximi. Tum quia Beneficium vacans potest canonicè in specie conferri: ergo pariter nihil impedit, cuiusmodi concedi, seu delegari potestatem illud conferendi.

Resp. III. Insuper potest Episcopus suo Vicario Generali delegare omnimodam potestatem conferendi vacatura Beneficia in genere, atque indeterminatè. Ita Glossâ d. c. Constitutus. §. Contra formam concessionis. & Jo. Andreas ibid. numer. 7. & Abbas num. 5. & Barbosa num. 3. h. t. & idem Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 54. numer. 61. citans alios. Atque istud patet ex cap. ult. junctâ Glossâ §. Commissa. de Offic. Vicar. in 6. ubi dicitur, quod Officialis, aut Vicarius Generalis Episcopi beneficia conferre non possunt: nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissâ: & consequenter potest Episcopus ipsis quorumcumque beneficiorum (siue, beneficiorum in genere) collationem specialiter committere. Concordat c. Ex

frequentibus, 3. de Institut. Ubi Officialis Episcopi dicitur posse Beneficia conferre. Subintelligitur, quando hoc ipsum eisdem specialiter est commissum, arg. cit. cap. ult. de Offic. Vicar. in 6.

52 Additur notanter in Conclusione, potest Episcopus suo Vicario Generali &c. Nam Episcopus non potest alteri, qui Officialis, seu Vicarius Generalis non est, hoc jus conferendi quæcumque Beneficia vacatura committere, arg. c. Deliberatione. §. Prohibemus. de Offic. Legat. in 6. Ubi hoc ipsum, ad præcavendum fraudibus contra Concilium Lateranense committendis, denegatur Legatis Apostolicis: ac notat Abbas cit. num. 5. & Barbosa d. allegat. 54. num. 60. post Quintanadvenas Ecclesiasticor. lib. 1. cap. 5. in fin.

53 Atque ex dictis inferitur duplex fallentia Regularum Juris. Imprimis enim plus est, posse conferre omnia Beneficia vacatura, quam unum duntaxat vacaturum in specie: tamen illa potestas potest committi per Episcopum Vicario suo Generali: non verò ista, juxta proximè dicta Concl. 1. & 3. Quod tamen est contra Reg. 57. Jur. in 6. quæ habet: Cui licet, quod plus est, licet utique, quod minus est.

54 Deinde Legatus Papæ potest per se ipsum recipere resignationes Beneficiorum infra fines suæ Legationis, eademque postmodum conferre; non verò per alium, cit. c. Deliberatione. §. Prohibemus. de Offic. Legat. in 6. Similiter Episcopus potest per se ipsum omnia Beneficia vacatura conferre, non verò per alium, nisi fuerit Vicarius Generalis ipsius. Horum autem utrumque est contra Reg. 68. Juris in 6. ibi: Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. Verum ratio specialitatis, seu fallentia dictarum Regularum in casibus præmissis, est periculum fraudis committendæ contra Concilium Lateranense, in c. Nulla. 2. h. t. prohibens conferri, vel promitti Beneficia primum vacatura: facilius enim talis fraus committeretur per alios, quibus Legatus, vel Episcopus ultra suum Vicarium Generalem, daret illam facultatem conferendi (si posset) quam per ipsummet Legatum, Episcopum, aut hujus Vicarium Generalem. Glossâ cit. c. Deliberatione. §. Prohibemus. vers. Cuiusque. de Offic. Legat. in 6.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

1 Ratio continuationis Rubricarum. Rubrica præsentis Tituli continet Regulam ibidem.

2 Visum est duobus præcedentibus Titulis de Institutionibus, & Collationibus Ecclesiarum, atque Præbendarum vacantium: postulat nunc ordo continuationis Rubricarum etiam declarare, quidnam Ecclesiis vacantibus liceat, vel non liceat facere. Atque idcirco providè in bonum Ecclesiarum vacantium, quas velud Pastoribus, & Defensoribus suis destitutas, facilius in bonis ac juribus suis detrimentum pati contingeret, in Rubrica præsentis Tituli statuitur regula negativè concepta: Ne Sede vacante aliquid innovetur. Et quia hæc regula perfectam orationem, sensumque completum continet, eidem inhærendum est, donec de fallentia consistet: nam quod Rubricæ perfectum sensum continentes utiliter allegantur, valeatque argumentum à Rubro, notat Abbas in Rubrica. h. t. ètque Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

jam dictum supra in Proæmio Lib. 1. Decretal. §. 6. num. 96. & seqq.

§. I.

De Sede vacante, ejusque duratione, atque intellectu præsentis Rubricæ.

SUMMARIUM.

- 2 Nomine Sedis vacantis, quid intelligatur?
- 3 Rubrica præsentis Tituli, in quibus locum habeat?
- 4 Verbum, Vacare, pluribus modis in Jure accipitur.
- 5 Et quomodo accipiat in proposito? Et numerus præced.
- 6 Vacatio Sedis Episcopalis, quamdiu duret? Et num. seqq.
- 7 Ea durat usque ad præsentationem Litterarum Apostolicarum Capitulo factam. Et num. præced. ac seqq.
- Idem dicendum de Sedibus Abbatialibus promotorum in Curia. Ibid.
- 8 Sola expeditio Litterarum Apostolicarum non sufficit ad cessationem vacationis Sedis Episcopalis &c.
- 9 Hinc collatio Beneficij, communiter spectans ad Episcopum & Capitulum, potest antea fieri à solo Capitulo.
- 10 Respondetur ad contrariam Decisionem Rotæ, & sententiam Flamini Parisii.
- 11 Solvuntur alia instantia.
- 12 Vacatio ceterorum Beneficiorum, quæ non indigent provisione &c. in Curia, durat usque ad confirmationem novi Prælatis, seu Beneficiarii.
- 13 Regula præsentis Rubricæ, Ne Sede vacante aliquid innovetur, quomodo sit intelligenda? Et num. seqq.
- 14 Ecclesia fungitur jure Minoris: imò, si est vacans, jure Pupilli.
- 15 Tempus Sedis vacantis non est conveniens ad agendum, seu tractandum super statu Ecclesie.
- 16 Regula, Ne Sede vacante &c. procedit, ubi innovatio tendit in præjudicium Ecclesie: scilicet, ubi sit melior ejus conditio. Puta, si quid eidem dari promittatur. Ibid.

Quæritur I. Quid intelligatur nomine Sedis vacantis? Resp. I. Nomine Sedis vacantis intelligitur ipsa Ecclesia Cathedralis, aut Metropolitana suo viduata Pastore; uti desumitur ex cap. 1. h. t. ibi: Attendentes igitur, quod Episcopalis Sede vacante non debeat aliquid innovari, cum non sit, qui Episcopale jus tueatur. Atque hoc ipsum ampliat ad Abbatias, & Præposituras, aliasque Dignitates, quæ per obitum Prælatorum suorum cententur viduatae, juxta a. c. Ne pro defectu. 41. de Election. Hostiensis in Summa. h. t. nu. 3. Abbas c. His quæ. n. 2. de Majorit. & obed. Barbosa ad Rubric. h. t. n. 2. & alii.

Resp. II. Nihilominus Rubrica præsentis Tituli, & regula per ipsum tradita, non solum in Cathedralibus, sed etiam in minoribus Ecclesiis, atque Beneficiis vacantibus locum habet. Ita Glossâ cap. 1. vers. Ecclesia. de Reb. Eccle. non alien. in 6. pro hoc allegans, c. Cum vos. 4. de Offic. Ordinar. Jo. Andreas cap. 1. num. 3. h. t. Barbosa cit. nu. 2. Pirhing h. t. n. 1. & alii. Accedit ratio: quia non solum Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam aliis Prælaturis, imò & Parochialibus Ecclesiis, cæterisque Beneficiis inferioribus periculosum foret; milleque præjudicium obno-

obnoxium, si ipsi vacantibus, sique legitimo defensore carentibus, liberè posset quid innovari circa jura, bonaque ipsorum, etiam temporalia.

4 Resp. III. Licet verbum, *Vacare*, pluribus modis in Jure accipiat: in proposito tamen *Vacatio* Sedis Episcopalis, vel alterius Beneficii, importat carentiam proprii Prælati, seu Rectoris, qui munia ipsius Ecclesiæ peragat, et jura teneat. Ita Barbofa ad Rubric. h. t. nu. 3. & 4. cum communi. Et quidem prior pars probatur inductione. Sic enim *Vacare* aliquando sumitur, prout idem est, ac cessare: ut l. Qui tertiana. ff. de Edictio Edicto. ibi: Diebus, quibus morbis vacant: hoc est, eorum morbi cessant. Nonnunquam vacare dicitur, quod est inutile, ac nullum fructum referi: sic pecunia censetur vacare, quando nullæ inde uluræ, seu lucra acquiruntur, l. Quintus Cæcilius. ff. Depositi. Tacentur alii modi, quibus verbum *Vacare* sumitur apud Calepinum eodem verbo videndi.

5 Altera pars patet ex cap. 1. & seqq. h. t. & cap. 1. junctâ Glossâ verbi *Ecclesia*. & verbi *Defensore*. de Rebus Eccles. non alienand. in 6. Porro, quibus modis Episcopatus, aliæque beneficia Ecclesiastica vacare intelligantur, ex professi dictum est supra Tit. 5. de Præbend. §. 12. n. 34. & 344 ac seqq.

6 Queritur II. Quamdiu duret vacatio Sedis Episcopalis, alteriusque Beneficii Ecclesiastici? Resp. I. Sedes Episcopalis semel vacans, censetur vacare tamdiu, donec Litteræ Apostolicæ pro novo Episcopo in Curia promoti, vel confirmato expeditæ, atque Capitulo præsentatæ fuerint. Ita Barbofa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 54. nu. 160. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Simonia in resignation. nu. 31. & 40. Gonzalez ad Reg. Cancellar. gloss. 15. §. 2. n. 82. 83. & seqq. citans autem; ac num. 88. subjungens, cavendum esse à Flamin. Parisio de Resignation. Benefic. lib. 7. quest. 23. nu. 40. & 47. & seqq. dicente, quod Sedes Episcopalis amplius non vacet post provisionem novi Episcopi à Papa in Consistorio factam.

7 Conclusio hæc, quæ etiam procedit de Sedibus Abbatialibus promotorum in Curia, habetur expressè decisa in Extravag. Injunctæ de Election. inter Commun. Ubi præmissis multiplicibus dictæ Constitutionis rationibus, & loquendo non solum de Episcopis, sed etiam de Abbatibus, aliisque in Curia promotis, §. præsentis, sancitur: *Ut Episcopi, & alii Prælati superiores, nec non Abbates, Priores, & ceteri Monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem (Apostolicam) promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis manus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias, & Monasteria absque dictæ Sedis litteris hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non presumant: nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut eis pareant, vel intendant &c.* Decernendo irritum, si quid medio tempore à taliter promotis actum fuerit: & tam ipsos, quam Capitula, aliisque sine prædictis eisdem recipientes puniendo, ut in relata Extravaganti sequitur.

8 Ex quibus verbis, ponderando ly, *absque dictarum litterarum ostensione &c.* clarè patet, quod sola expeditio litterarum Apostolicarum non sufficiat ad cessationem vacaturæ Sedis Episcopalis, vel alterius Prælati in Curia collatæ; sed insuper requiratur earundem litterarum præsentatio facta Capitulo, sive Conventui. Siquidem ante hanc nequit administrare Promotus, neque Capitulum seu Conventum, potest eundem recipere, juxta allegatam Extravagantem.

vacante aliquid innovetur.

Inferitur proinde, quod, ubi collatio Beneficii Ecclesiastici communitè spectat ad Episcopum & Capitulum, valida fit collatio ejus facta per Capitulum, sperto Episcopo jam promoti, litteratque suæ provisionis habente expeditas, nondum tamen eas ostendente ipsi Capitulo: quia eum adhuc dicitur vacante Sedis Episcopalis, hinc poterit juxta cap. un. h. t. in 6. collatio talis Beneficii fieri à solo Capitulo sine ulla citatione, requisiitione, aut interventione Episcopi noviter promoti. Et ita in facti contingentia fuisse resolutum à Rota in una Burgenf. Canonica. 3. Junii. 1583. coram R. D. Scipione Lancelloto, refert Gonzalez cit. gloss. 15. §. 2. num. 86. 87. & 88.

Nec obstat alia Decisio Rotæ in una Burgenf. Canonica. 28. Januarii 1583. coram eod. R. D. Scipione Lancelloto, per Flamin. Parisium cit. lib. 7. de Resignation. Benefic. quest. 23. n. 47. allegata; & dicens, quod cesset vacatio Sedis Episcopalis, si que potestas Capituli, statim post provisionem novi Episcopi à Papa in Curia factam. Respondet eodem Gonzalez cit. num. 87. & 88. quod per istam Rotam fuerit quidem contrarium decisum; sed non bene considerata dispositione supra memoratâ Extravag. Injunctæ. Unde ab hac contraria Decisione, in eadem causa postmodum fuit recessum per aliam Decisionem, die 3. Junii 1583. factam, & num. præced. allegatam: quæ posterior Decisio postea sæpius à Rota fuit canonizata. Unde (ut jam n. 6. dictum) subjungit, cavendum esse à citato Flamin. Parisio, qui prioris duntaxat, non verò posterioris Decisionis Rotalis meminit.

Dices cum eodem Flamin. Parisio lo. cit. nu. 48. II. & 49. Provisio Apostolica habet vim electionis, & confirmationis, juxta Calderinum consil. 4. de Election. & Felinum cap. 2. de Præscription. Vacatio autem durat usque ad confirmationem; ut inquit Glossa in Clem. verbi *collatio*. Ut lite pendente &c. Resp. Esti vacatio duret usque ad confirmationem: hinc tamen non sequi, quin possit ulterius durare, quando Jus specialiter sic disponit, ac requirit etiam præsentationem Litterarum provisionis, confirmationis &c. Capitulo, sive Conventui faciendam: prout loquendo de promotis in Curia requiritur in cit. Extravag. Injunctæ de Election. inter commun.

Resp. III. Loquendo de cæteris Beneficiis, quæ non indigent provisione, confirmatione &c. in Curia, prima vacatio Prælati, seu Beneficii inferioris, durat usque ad confirmationem novi Prælati, seu Beneficiarii. Ita Glossa in cit. Clem. 1. verbi *Collatio*. & Abbas ibid. num. 1. *Ut lite pendente &c.* Flamin. Parisius lo. cit. n. 48. post Felinum in c. Bertholdus, n. 3. de Sentent. & re judicat. Etque jam dictum supra Lib. 1. Tit. 6. de Election. §. 2. nu. 33. & 34. Idque desumitur ex c. Quomodo sit Ecclesiis 6. de Election. in 6. ubi, ne fit Ecclesiis dispendiosa vacatio, jubetur electus, sub pœna amissionis juris sibi ex electione quæsitæ, intra trimestre tempus petere confirmationem suæ electionis: quod ipsum fit c. Capientes. §. 1. & 2. eod. in 6. frustra enim ad præcavendum dispendiosæ Ecclesiarum vacationi, tam rigidè exigeretur petito confirmationis, nisi usque ad ipsammet confirmationem vacatio Ecclesiarum durare intelligeretur.

Queritur III. Quomodo regula præsentis Rubricæ, *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, sit intelligenda? Resp. I. Cum præfens Rubrica loquatur negativè, simulque perfectum contineat sensum, hinc ex ea habetur argumentum atque Regula, quod Sede vacante nihil possit innovari; subintellige, in præjudicium ipsius Ecclesiæ, vel Prælati successoris. Ita Glossa in Rubr. h. t. & Abbas ibid. & Glossa un. cap. ult. h. t. dicens, quod vacante Sede nihil fieret

§. I. De Sede vacante, ejusque duratione, atque &c.

§. II.

De Jurisdictione Capituli Sede vacante.

SUMMARIUM.

- 17 Regula est, quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopi; seu, quod potestas hujus devolvatur ad Capitulum.
- 18 Ampliatur ea ad Collegia inferiorum Ecclesiarum.
- 19 Atque ad Conventus Regularium.
- 20 Excepta receptione Novitiorum, alienatione bonorum &c.
- 21 In declaranda illa regula, Capitulum Sede vacante succedit in jurisdictione Episcopi, variant doctores. Et num. seqq.
- 22 Prima sententia asserit, Capitulum Sede vacante solum succedere Episcopo in casibus à Jure expressis: hujusque rationes.
- 23 Altera tenet, jurisdictionem contentiosam, atque necessariam, transire quidem in Capitulum Sede vacante: non verò jurisdictionem voluntariam Episcopi.
- Jurisdicção contentiosa, & necessaria, quæ? Ibidem.
- 24 Jurisdicção voluntaria Episcopi, quæ? Et cur in hac non videatur succedere Capitulum Sede vacante? Ibidem.
- 25 Tertia sententia, cæterisque probabilior, docet, Capitulum Sede vacante succedere Episcopo in omnibus quæ sunt suæ jurisdictionis ordinariæ; demptis casibus in Jure expressis.
- 26 Affertur fundamentum hujus sententiæ.
- 27 Et solvuntur rationes primæ.
- 28 Atque secundæ sententiæ. Et num. seqq.
- 29 Probaturque ulterius tertia sententia.
- 30 Capitulum Sede vacante non succedit in collatione Beneficiorum ad solum Episcopum pertinere.
- 31 Neque potest res Ecclesiæ, seu Episcopatus vacantis alienare, vel donare.
- 32 Exceptis rebus, quæ servando servari non possunt.
- 33 Atque excepto casu magnæ necessitatis. Necnon donatione de rebus Ecclesiæ ex justa causa factâ &c. Ibidem.
- 34 Contractus per Capitulum Sede vacante de rebus Ecclesiæ initus cum damno Ecclesiæ ipso jure non valet.
- 35 Et quid, si fuit initus ad utilitatem Ecclesiæ, aut de hoc sit dubium?
- 36 Judicium, seu Processus judicarius super juribus, ac bonis Ecclesiæ vacantis, non valet. Et num. seqq.
- Aded, ut Judicium etiam antea inchoatum non possit continuari. Ibidem.
- 37 Et quid, si feratur sententia pro Ecclesia vacante?
- 38 Ecclesiâ vacante possunt recipi testes, quando sunt senes, valetudinarii &c.
- 39 Potestque agi super juribus ejus, si urgeat magna necessitas, deturque Ecclesiæ vacanti Defensor &c.
- 40 Itemque in casibus specialibus, qui necessarij, vel melius tractantur Sede vacante. Et numer. seqq.
- Ut si questio suboriatur de validitate electionis, aut jure eligendi. Ibidem.
- 41 Vel quando agitur de retentione fructuum Ecclesiæ vacantis &c.

Queritur I. An & qualiter jurisdictione Episcopi mortui devolvatur ad Capitulum Sede vacante? Resp. I. Regula est, quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopi: hoc est, quod

quod vacante Ecclesia Cathedrali potestas, sive jurisdictione Episcopi devolvatur ad Capitulum. Ita Glossa in c. Cum olim. y. Capitulo. & Abbas ibid. num. 2. de Majorit. & obed. & alia Glossa c. His que. y. Pro bono pacis. & Fagnanus ibid. num. 49. & seqq. eod. Federicus de Senis Consil. 16. nu. 2. Barboia cit. c. Cum olim. num. 3. post Rotam Decis. 1. num. 13. part. 2. divers. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 7. num. 4. allegans alios; etque communis: quamvis in declaratione dicte Regule, & quomodo ipsa cohereat cum alia Regula in Rubrica presentis Tituli posita, Ne Sede vacante aliquid innovetur, Doctores non nihil dissentiant. Conclusio hæc desinitur ex cit. c. His que. 11. & c. Cum olim. 14. de Majorit. & obed. & cap. un. eod. in 6. & c. Ad abolendam. 9. junctâ Glossâ vers. Clerici ipsi sede vacante de Hæretic. & concordantiis nu. 26. afferendis, ubi Capitulum Sede vacante censetur succedere in ordinaria jurisdictione Episcopali. Accedit ratio congruentiæ: quia Episcopus & Capitulum efficiunt unum corpus, cujus caput est Episcopus, membra verò Canonici. c. Novit. 4. De his que sunt à Prælati. Unde propter tam æream communionem; & ad præcavendam pluribus incommodis cæterorum oritur, merito potestas, atque jurisdictione Episcopi Sede vacante, devolvitur ad Capitulum.

18 Resp. II. Quamvis data regula potissimum loquatur de Sede Episcopali vacante, Capituloque Cathedrali, rectè tamen ampliatur ad Collegia inferiorum Ecclesiarum: nam etiam hæc Sede vacante succedunt in potestate, & jurisdictione Prælati. Ita Abbas c. His que. num. 2. junctâ textu, & Glossâ fin. & Hostien. & Barboia ibid. n. 4. de Majorit. & obed. ac novissimè Fagnanus in eod. cap. His que. Ubi, cum à num. 39. & seqq. plura in oppositum attulisset; tandem num. 48. alerit, hanc opinionem, tum propter auctoritatem Abbatis, tum propter consuetudinem, quæ est optima Legum interpretis, communitè teneri: eamque (inquit) secuta est Rotam in Burgen. Jurisdictionis. 22. Junii. 1611. coram Card. Cavalerio: habeturque impressa part. 1. Recens. Decis. 146.

19 Resp. III. Ampliatur eadem regula ad Conventus Regularium: nam, quod in Monasteriis Capitulum, sive Conventus, vacante Sede Abbatiali succedat in administratione spiritualium, & temporalium, sicut succedit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis ipsi Episcopo; notat Abbas c. Ea que. num. 9. de Statu Monachor. & c. His que. n. 2. de Majorit. & obed. istud probans ex Clem. Ne in agro. §. Abbat. de Statu Monachor. Idemque tenet Felinus in d. c. His que. n. 3. & Barboia ibid. n. 4. citans Rotam Decis. 346. num. 31. Recens.

20 Excipitur tamen hinc receptio Novitiorum. Nam ubi hæc pertinet ad solum Prælatum, eo defuncto nequit Conventus novum Monachum creare: bene tamen, si Monachorum creatio spectet ad utrumque simul, tenet. clar. cap. ult. de Regularib. in 6. Excipitur pariter alienatio bonorum, una cum aliis similibus, quæ non possunt Sede vacante expediri. Abbas cit. c. His que. n. 2.

21 Quæritur II. Qualiter intelligendum sit, quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopi? Resp. I. In declaranda præfata regula, seu quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopi, variant Doctores: uti videre est apud Garciam part. 5. de Beneficis. quest. 7. num. 2. 3. & 4. tres diversas Doctorum sententias referentem, de quibus jam antè mentionem fecerat. Glossa in Clem. 1. y. Capituli. de Hæretic. subjungens, dictum illud, quod Capitulum succedat in jurisdictione Sede vacante, egere declaratione. Et quidem

Prima sententia est eorum, qui asserunt, Capitulum Sede vacante succedere Episcopo, quoad illa solum, quæ in Jure reperiuntur eidem concessa. Et pro hac sententia citat Fagnanus in c. Cum olim. n. 2. de Majorit. & obed. Vincentium, Roffredum, Hostiensem, & Archidiaconum: eandemque sententiam tenet Felinus c. Cum olim. nu. 1. & 7. de Majorit. & obed. citans Dominicum in can. Presbyteri. dist. 24. & Abbas cap. 2. nor. 2. h. t. istud probans ex textu hujus Capituli, ibi: Cum nusquam inveniatur cautum in Jure, quod Capitulum vacante Sede, fungatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum, Ex quibus verbis infert dictus Abbas, quod Capitulum non succedat in Jure Episcopi, nisi in casibus à Jure expressis; & proinde in casibus dubiis potius judicandum sit contra Capitulum. Quamvis idem Abbas in c. Cum olim. nu. 2. de Majorit. & obed. post Glossam ibid. v. Pro bono pacis, oppositam regulam statuat, dicens: Regula est, quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopali: subintelligit, exceptis casibus in Jure expressis. Atque memorata sententia confirmatur ex generali regula negativa, quam tradit Rubrica presentis Tituli: Ne Sede vacante aliquid innovetur. Nam verba generaliter sunt intelligenda: & ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. De pretio. ff. de Publician. in rem action. cum similibus. Ac proinde, ut recedatur à præfata regula negativa, oportet offendere exceptionem in Jure fundatam, quæ permittit Capitulo quidpiam agere, seu innovare, Sede vacante.

Altera sententia distinguit inter jurisdictionem contentiosam atque necessariam, & inter jurisdictionem voluntariam Episcopi: atque illam quidem concedit transire in Capitulum Sede vacante, non verò illam. Ubi sciendum, quod per Jurisdictionem contentiosam investigatur ea, quæ requirunt ad reddendum jus partibus in Judicio contententibus: sicut necessaria est ex parte Episcopi, veluti Judicis. Per Jurisdictionem necessariam verò intelligitur illa, quæ requiritur ad expedienda ea, in quibus Jus quodpiam tertio fuit quæsitum, etiam extra judicium: & talis censetur intervenire in confirmatione electionum, in institutione præsentatorum, & cæterorum habiliu ad Beneficia (nam his ex electione, vel præsentatione legitime factâ, Jus quodpiam quæsitum fuit) item & in aliis, quæ sunt justitiæ, ac necessitatis. Atque in hujusmodi jurisdictione tum contentiosa, tum necessaria, succedere Capitulum Sede vacante, ultro fatetur hæc sententia: alioquin enim tempore Sedis vacantis non esset subditis debent, sufficienterque provisiu, si non esset, qui tunc Jus dicere, justitiæque administrare valerent, impio contra justum prævalente impune: sicut & in aliis, quæ sunt necessitatis, oportet Capitulum succedere in jurisdictione Episcopi, ne ex defectu legitimi Superioris periculum possit generari in subditis, totaque Communitate. Abbas c. His que in fin. de Majorit. & obed. & alii.

At verò per Jurisdictionem voluntariam Episcopi intelligunt Doctores illam, quæ Episcopus utitur in expediendis illis, quæ à sua libera voluntate dependent: ut est, donare aliquid de rebus suis, conferre beneficia ad suam collationem pertinentia, concedere Indolgentias, dare licentiam eligendi Confessorium, Charitativum subsidium exigere, Statuta condere, & alia hujusmodi pro sua voluntate facere, aut etiam ex speciali gratia indulgere. Atque in tali jurisdictione voluntaria succedere Capitulum Episcopo defuncto, negat hæc altera sententia: pro qua Glossa in Clem. 1. v. Capituli. de Hæretic. citat Jo. Mopachum: eandemque tenet Jo. Andreas cap. un. d. princ.

d. princ. de Majorit. & obed. post Archidiaconum Flamin. Parisius lib. 7. de resignat. Benefic. quest. 23. num. 13. & 35. ac 36. & nonnulli alii apud Garciam, ubi suprâ. Rationem dant: quia Capitulum Sede vacante est administrator necessarius, non voluntarius; ut inquit Glossa in cit. Clem. 1. vers. Capituli. de Hæretic. Abbas. c. Cum olim. vers. Extra glossam. de Majorit. & obed. Felinus c. Cum omnes. nu. 10. vers. Secundò est advertendum de Constitut. Fagnanus c. Illa. n. 13. h. t. allegans Rotam Decis. 3. nu. 3. de Officio Vicar. in novis. Ergo ipsum succedit quidem Episcopo in illis, quæ sunt justitiæ, seu necessariò expedienda (alioquin enim subditis Sede vacante non foret debent, sufficienterque provisiu) non autem in aliis, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, sicut gratiam potius respiciunt, quam justitiam. Accedit, quod Capitulum Sede vacante non possit conferre Beneficia, ad collationem solius Episcopi spectantia; bene tamen instituire præsentatos in Beneficiis, cap. 1. de Institut. in 6. Quia nimirum illud posterius sapit necessitatem, atque justitiam: non verò illud prius, utpote speciem continentens liberalitatis, atque donationis. cap. ult. de Offic. Vicar. in 6.

25 Tertia tandem, & cæteris probabilior sententia docet, atque pro regula statuit, quod Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in omnibus, quæ sunt Jus jurisdictionis ordinariæ, demptis casibus in jure expressis. Ita Glossa c. His que. y. Pro bono pacis & c. Cum olim. vers. Capitulo. & Abbas hic, num. 2. de Majorit. & obed. Innocentius c. Ad abolendam. vers. Item Episcopus. de Hæretic. Federicus de Senis Consil. 16. numer. 2. & Consil. 30. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Devolutionib. numer. 58. & seqq. Navarrus Consil. 44. numer. 1. & seqq. de Temporib. Ordinat. Fagnanus c. d. Cum olim. num. 2. de Majorit. & obed. asserens: Nota ex Decretali regulam affirmativam, quod potestas, seu jurisdictione Episcopi Sede vacante ad Capitulum devolvitur. Joan. de Selva Tractatum Tom. 15. tract. de Beneficio. part. 2. quest. 11. num. 4. & 5. Barboia part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 92. num. 17. & in c. Illa. 2. nu. 3. & seqq. h. t. Alexand. Sperellus Decis. III. Fori Ecclesiast. num. 39. & 40. Card. Tufchus Litt. C. Consil. 56. num. 8. & 22. c. seqq. addens, quod gesta per Capitulum Sede vacante effectum suum fortiter perpetuò, tanquam legitime facta, in iis, quæ respiciunt perpetuationem. Jo. Gutierrez Canonic. Quest. lib. 1. cap. 11. num. 10. Engel h. t. num. 1. vers. Receptor. atque ex professo Garcias cit. part. 1. de Benefic. cap. 7. num. 4. & 38. 39. c. seqq. allegans plurimos alios, hancque sententiam appellans cæteris veriorum.

26 Fundamentum hujus tertie sententiæ desumitur ex pluribus Juribus hæcenus jam citatis: nimirum ex c. His que. II. & c. Cum olim. 14. de Majorit. & obed. & c. Ad abolendam. 9. junctâ Glossâ y. Clerici ipsi Sede vacante de Hæretic. Eadem sententia, & quidem adhuc clarior, probatur ex cap. un. de Majorit. & obed. in 6. ubi Sede vacante, Capitulum indistinctè attribuitur Episcopalis jurisdictione, illis verbis: Episcopali Sede vacante, potest Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis jurisdictione tunc temporis noscitur pertinere & c. ponderando ly, Capitulum, seu is ad quem Episcopalis jurisdictione tunc temporis noscitur pertinere & c. ponderando ly, Capitulum, seu is æquè ad Capitulum noscitur pertinere jurisdictione Episcopalis, sicut ad alium, ad quem aliunde (puta, ex speciali commissione Apostolicâ, ut C. Is cui procuratio. 42. de Election. in 6. Vel, quia Visitor Ecclesiæ Cathedralis vacantis à Papa quis constitutus fuit, cap. ult. §. fin. de Supplend. neglig. Prælat. in 6.) eadem Episcopalis jurisdictione pertinere dignoscitur. Hoc ipsum habetur c. Cum null. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

lus. 3. §. Episcopo. de Temporib. Ordinat. in 6. ibi: Sede vacante, Capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere & c. Atque concordat cap. ult. §. 1. de Supplend. neglig. Prælat. in 6. ubi dicitur, Sede vacante Capitulum in spiritualibus & temporalibus administrare posse, ac debere: aded, ut si negligenter, aut perperam administraret, Archiepiscopus ipsi visitatorem, seu administratorem deputare valeat. Quia igitur tot, tamque aperti Juribus, Sede vacante attribuitur Capitulo potestas Episcopalis, merito statuitur Regula affirmativa; videlicet Capitulum Sede vacante succedere Episcopo in omnibus, quæ sunt jurisdictione ordinariæ, præter casus in Jure expressos: ac proinde in casibus dubiis judicandum esse pro Capitulo, eò quod inhærendum sit Regule, donec de fallentia constet.

Nec urgent rationes priorum duarum sententiarum. Nam imprimis cap. 2. h. t. unde Abbas pro prima sententia desumptus legitur negativam, num. 22. relatum; expressè loquitur de Beneficiis ad liberam collationem Episcopi pertinentibus. Hanc enim, utpote speciem alicujus donationis continentem, sicut in generali concessione non comprehendam, cap. ult. de Offic. Vicar. in 6. & c. In generali. 81. de Reg. Jur. in 6. merito negat Pontifex competere Capitulo Sede vacante; eò quod nullibi in Jure reperitur, ipsam specialiter fuisse concessam Capitulo Sede vacante. Inde tamen non rectè infertur regula generalis negativa, etiam ad casus tali specialitate rationis carentes sese extendens: nam à diversis non fit illatio, l. Ult. in fin. & Bartol. ibid. ff. de Calumnias. & Barboia Axiomat. 114. Deinde ad regulam negativam Rubricæ presentis Tituli, Ne Sede vacante & c. jam dictum esse numer. 13. & 16. ipsam summòmodo prohibere, ne Sede vacante aliquid innovetur in præjudicium Ecclesiæ, vel Prælati successoris: unde quoad alia Ecclesiæ, vel successoris Episcopo non præjudicialia, subintra opposita regula, nempe quod Capitulum Sede vacante succedat, in ordinaria jurisdictione Episcopi.

28 Neque urget, quod in favorem secundæ sententiæ num. 24. allegatur. Nam Capitulum Sede vacante est quidem administrator necessarius, in quantum est datum, seu constitutum à Jure communi pro administratione rerum, atque negotiorum Sedis vacantis: non autem ex privata partium conventionione, seu libera quorundam voluntate ad ejusmodi munus administrandi assumitur. Quâ ratione similiter Arbitri alii dicuntur necessarii, utpote ex necessitate, seu præscripto Legis constituendi: alii voluntarii, seu qui liberâ partium voluntate constituuntur, juxta dicta superius Lib. 1. Tit. 43. §. 1. n. 13. 14. & 15. Ex hoc tamen neutiquam sequitur, nec aliunde probatur, quod Capitulum Sede vacante fungatur duntaxat jurisdictione Episcopali necessariâ: qualis intervenit in confirmatione electionum, & institutione præsentatorum in Beneficiis, & hujusmodi, ubi Jus quodpiam partibus fuit quæsitum: nec non jurisdictione judiciali, quæ pariter censetur necessaria, nempe ad reddendum Jus partibus in Judicio contententibus, seu litigantibus. At verò non succedat in jurisdictione voluntaria: qualis intervenit in dispensationibus, in statutis novis condendis, in abolitionibus à censuris, & hujusmodi. Hoc, inquam, nullibi probatur.

Quin imò, ut argumentatur Joan. de Selva cit. 29. tract. de Beneficio. part. 2. quest. 2. num. 4. & 5. Jura num. 26. citata absolute dicunt, quod Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione Episcopali: neque alicubi distinguunt inter jurisdictionem necessariam, atque contentiosam; & inter jurisdictionem

ditionem voluntariam, demptis certis casibus specialiter exceptis. Ergo neque nos inter has distinguere oportet, l. De Pretio. ff. de Publician. in rem action. cum similibus: sicque tenendum, quod idem Capitulum succedat in ordinaria jurisdictione Episcopali, non solum necessaria, sed etiam voluntaria, demptis casibus specialiter exceptis. Et quia inter huiusmodi casus specialiter continetur collatio libera Beneficiorum, ad solum Episcopum pertinentium: hinc patet, etiam alteram instantiam, cit. num. 24. adductam, nihil urgere. Occasione cuius tamen, & pro meliori dictorum intelligentia,

30 Quæritur II. Quinam sint præcipui casus specialiter excepti, in quibus Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo? Resp. I. Præcipuus, ac sæpius in Jure exceptus casus est, collatio Beneficiorum ad liberam solius Episcopi collationem pertinentium: nam in jurisdictione, seu potestate conferendi talia Beneficia, non succedere Capitulum Sede vacante, patet ex c. Illa. 2. h. t. cap. 1. de Institutione. in 6. & cap. ult. de Offic. Vicar. in 6. estque præter ea, quæ paulo superius num. 27. habentur, ex professo dictum supra Tit. 5. De Præbendis. §. 7. numer. 179. 180. & seqq. addendo simul numer. 190. rationem disparitatis, cur Capitulum Sede vacante possit instituire præsentatos in Beneficiis; non item illæ conferre, quando eorum collatio pertinet ad solum Episcopum.

31 Resp. II. Licet administratio rerum Episcopali Sede vacante devolvatur ad Capitulum, cap. ult. §. 1. de Supplend. neglig. Prælat. in 6. cum similibus: non tamen potest Capitulum res Ecclesiæ, aut Episcopatus vacantis alienare, vel aliis liberè donare. Textus est in can. Si qua de rebus. 12. q. 2. ubi res Ecclesiæ, quæ mortuo Episcopo venditur, vel aliter distractæ fuerunt, ad jus Ecclesiasticum revocari jubentur. Accedit ratio: tum quia is, cui bonorum administratio, etiam libera, concessa est, regulariter donare non potest, cap. ult. de Offic. Vicar. in 6. junctâ Glossâ y. Nec regulariter, hinc expiciente nonnullos casus, ac præsertim eum, si ex justa causa fiat donatio, ut puta, Magistro &c. Tum quia Capitulum res Ecclesiæ vacantis non auferre, vel distrahere, sed ulque ad tempus substituendi Prælati conservare debet, præstitâ tamen necessariis ministris interim consuetâ alimoniam, can. Hec hujus 12. q. 2. Quod ipsum repetitur c. Præsent. 9. de Offic. Ordinar. in 6. asserendo, quod bona vacantium Ecclesiarum, aliorumque Beneficiorum, sive in istis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, in utilitatem eorum expendi, vel futuris debeant Successoribus fideliter reservari: nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam præscripta legitime, seu aliâ causâ rationabili, aliis competere dignoscantur.

32 Limitatur tamen data Conclusio in illis rebus, quæ servando servari non possunt. Has enim, dummodò aservetur pretium ipsarum, poterit Capitulum alienare, seu vendere; ut l. Lex quæ. C. de Administrat. Tutor. ubi hoc ipsum respectu bonorum pupillarum, aut minorennibus competentium, conceditur Tutoribus & Curatoribus. Siquidem Ecclesia fungitur jure Minoris, c. Audis. 3. junctâ Glossâ y. Jure minoris. De in integrum restit. Imò, si est vacans, etiam jure Pupilli, ut dictum supra n. 14.

33 Limitatur ulterius eadem Conclusio in casu magnæ necessitatis: tunc enim Clericos, sive Capitulum Sede vacante, posse aliqua alienare, accedente tamen autoritate Superioris; probat textus can. Præcarie. 12. q. 2. ac notat Glossâ cit. can. Si qua de rebus. ead. caus. 12. q. 2. y. Rescisso. Tacentur aliæ

limitationes, ac præsertim illæ, quæ num. 31. innuatæ fuerunt: nimirum, quando donatio de modicis rebus Ecclesiæ fit ex justa causa: vel quando bona ipsius ex privilegio, vel consuetudine legitime præscripta, cupiam alteri debentur, juxta cit. c. Præsent. 9. de Offic. Ordinar. in 6. Verum occasione præmissorum, ac dimissis nunc aliis casibus ad jurisdictionem Capituli Sede vacante pertinentibus, vel non pertinentibus, de quibus §. seq.

34 Quæritur III. Utrum extra casus proximè dictos valeat contractus per Capitulum Sede vacante initus de rebus Ecclesiæ, vel Episcopatus? Resp. breviter sub distinctione. Vel enim talis contractus est initus cum damno Ecclesiæ: & ipso jure non valet, neque de præsent. neque in futurum. Deficit enim potestas ex parte Capituli ad sic contrahendum, eò quod Sede vacante nihil possit innovari in ejus præjudicium. Glossâ cap. 1. vers. Sede vacante. & Abbas ibid. n. 8. h. t. & alii.

35 Vel contractus ille initus fuit ad utilitatem Ecclesiæ, aut saltem de hoc est dubium: & tunc est in optione Episcopi noviter creandi, utrum velit contractum illum habere ratum, nec ne. Glossâ & Abbas loc. cit. & Barbosa in d. cap. n. 8. h. t. Covarruvias Prælat. Quæst. cap. 28. n. 10. vers. Quid si rerum. citans alios. Siquidem in favorem Ecclesiæ est indultum à Jure, ut Episcopus noviter creatus possit contractum illum habere ratum, etiamsi sit alienatio rei immobilis, prout est textus notabilis in can. Si qua de rebus 12. q. 2. ibi: Si qua de rebus Ecclesiæ, cum Episcopus non est, Presbyteri (hoc est, Canonici, ut explicat Glossâ) vendiderint, placuit rescisso contractu ad jus Ecclesiasticum revocari, in judicio autem erit Episcopi constitutum, si pretium vacantis recipi, nec ne, &c. Neque illud videatur novum: nam etiam Minor valide potest absque Curatoris autoritate contrahere in suum commodum; non verò in suum præjudicium, §. 1. Institut. de Autoritate Tutor.

36 Quæritur IV. Utrum valeat iudicium habitum contra Ecclesiam vacantem? Resp. I. Iudicium, sive Processus iudicialis super juribus, aut bonis Ecclesiæ vacantis, non valet: adeò, ut non solum tunc nequeat intentari, seu inchoari; verum etiam antea inchoatum non possit continuari, sed debeat interim conquiscescere, donec fiat substitutio novi Prælati, sive dein Ecclesia sit actrix, sive rea. Ita Summarium in cap. ult. h. t. & Abbas ibid. n. 1. & 3. & Jo. Andreas num. 2. & Barbosa num. 1. & 2. cum communi. Idque desumitur ex cit. cap. ult. seu c. Constitutis. 3. h. t. ubi depositiones testium, qui vacante Ecclesiâ fuerunt recepti, reprobantur, eâ additâ ratione: quia Ecclesia vacans caret legitimo defensore. Et quidem præsertim testium receptio contingit in Judicio jam inchoato ante mortem Prælati: nam Judices, quibus Innocentius Papa causam illam commiserat, mortuo Episcopo Burgenfi, depositiones testium receperant, & tamen hæ reprobatae sunt; prout notat Jo. Andreas ibid. n. 1. Unde Glossâ in Casu ibid. generaliter infert, quod Sede vacante, causa tractari non potest, nec testes recipi: quia non est, cum quo ista fiant, & alterâ parte absente processus cause nullus est.

37 Accedit alia ratio. Quia iudicium, ac sententia lata contra Minores indefensos, seu Tutorem vel Curatorem non habentes, nulla est, l. Acta §. fin. ff. de Re judicat. Idem ergo dicendum de Ecclesia vacante, utpote quæ fungitur jure Minoris, ac Pupilli. Quòd si tamen feratur sententia pro ejusmodi Minore, aut Ecclesiâ vacante, hæcque ipsis prodesset, valeret, juxta Glossam cit. l. Acta vers. Contra, estque textus expressus in l. Non eò minus. C. de Procuratorib. junctis dictis supra num. 16.

38 Resp. II. Patitur nihilominus data Conclusio quas,

quasdam limitationes. Atque imprimis Ecclesiâ vacante possunt recipi depositiones testium, quando illi sunt fenes, vel valetudinarii, aut eum timetur eorum absentia diuturna. Idque permittum est, ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur: prout in simili habetur de sum. c. Quoniam. §. 1. Ut lite non contestata. &c. ac notat Innocentius, & Jo. Andreas n. 2. & Abbas nu. 4. cit. cap. ult. h. t. & communis.

39 Limitatur secundò, quando urget magna necessitas; aut Ecclesia diu est vacatura, nec possit commode expectari creatio novi Prælati. Tunc enim poterit tractari, seu in judicio agi super juribus talis Ecclesiæ; sed non aliter, nisi prius hujusmodi Ecclesiæ vacanti detur Curator, seu legitimus Defensor, per quem jura Ecclesiæ vacantis defendantur: arg. l. 1. & 2. ff. de Curatore bonis dando; ac notat Innocentius cap. 1. h. t. & Abbas cap. ult. num. 4. eod. Qui tamen nu. 5. subjungit, quòd solus Papa possit dare Curatorem bonis Ecclesiæ Cathedralis quoad effectum agendi, arg. c. Is cui. 42. de Election. in 6. & c. Pastoralis. 11. de Offic. Judic. ordin. & quoad hoc ultimum concordat Barbosa cit. cap. ult. n. 3. h. t. allegans alios. Quid autem sit dicendum de Ecclesiis inferioribus, sub multiplici distinctione declarat Abbas loc. cit.

40 Limitatur ulterius data Conclusio in casibus specialibus, qui necessariò, vel saltem melius, in judicio tractantur etiamnum vacante. Innocentius cap. 1. vers. Solutio. h. t. Abbas cap. ult. num. 4. eod. & alii. Sic contingit, quando quæstio subortitur de validitate electionis, aut jure eligendi, nempe ad quos istud pertinet, ubi electio facta fuit in discordia: hæc enim controversia necessariò prius est judicialiter discutienda, antequam sequatur confirmatio; sicque Sede adhuc vacante. Aliter enim non potest procedi ad confirmationem, nisi hoc prius discussum, ut c. Cùm dilectus. 8. de Consuetud. & c. Cupientes. 16. & cap. ult. de Election. in 6. cum similibus. Innocentius & Abbas, ubi supra. Fagnanus cit. c. Cùm dilectus. n. 4. de Consuetud. istud post Cardinalem, & Imolam, probans ex eo: quia talis quæstio pertinet ad Convenium sine Prælati.

41 Alius casus specialis est, quando agitur de retentione fructuum Ecclesiæ vacantis: ut cap. un. §. Omnibus. Ut Ecclesiastica Beneficia &c. ac notat Abbas, subjungens casum de divisione Præbendæ vacantis. Nam etiam contra talem Præbendæ divisionem, eò quòd ferret contra Concilium Turonense, relatum c. Majoribus. 8. de Præbend. posse moveri liem Sede vacante, desumitur ex c. vacante. 26. de Præbend. Tacetur validitas sententiæ latæ in favorem Ecclesiæ vacantis, juxta proximè dicta numer. 37. unâ cum aliis similibus.

§. III.

Solvuntur alia dubia de jurisdictione Capituli Sede vacante.

S U M M A R I U M.

- 42 Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in illis, quæ huic jure dumtaxat speciali competebant; puta, ex privilegio, commissione &c.
- 43 Potestas doctorandi competens Episcopo, an transeat ad Capitulum Sede vacante?
- 44 In jurisdictione Episcopo delegata non succedit Capitulum Sede vacante.
- 45 Etiam si delegatio fiat à Canone, sive ex generali delegatione Sedis Apostolicæ.

46 Ut est potestas à Concilio Tridentino Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis attributa. Item potestas auctoritate Apostolicâ visitandi Monasteria exempta Monialium. Ibid.

47 Secus, ubi quid delegatur Episcopo sub clausula, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegato.

Dictio Etiam, est augmentativa, & implicativa præcedentium. Ibid.

48 Et quid dicendum in casu urgentis necessitatis?

49 In omnibus casibus, in quibus Episcopus potest dispensare jure ordinario, potest etiam dispensare Capitulum Sede vacante, ejusque Vicarius Capitularis.

50 Ut in Denunciationibus matrimonio præmittendis.

51 In Interstitiis ad Ordines.

52 In votis, & juramentis, Papæ non reservatis.

53 Cum illegitimis ad Ordines minores, & Beneficium simplex.

54 Et in irregularitatibus, suspensionibus, ex delicto occulto &c. provenientibus.

55 Et in casu magnæ necessitatis &c.

56 Non succedit Capitulum Sede vacante in potestate dispensandi quoad ea, circa quæ solum poterat dispensare Episcopus ex speciali privilegio, vel delegatione.

57 Solvitur instantia ex Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 6. de Reform.

58 Et alia instantia ex Clem. 2. de Statu Monachorum.

59 Tres generatim sunt species casuum, in quibus Capitulum Sede vacante succedit, vel non succedit. Et num. seqq.

60 Capitulum Sede vacante potest, ac debet, constituere Vicarium in spiritualibus, & Oeconomum in temporalibus.

61 Potestas Capituli Sede vacante principaliter residet penes Capitulum; exercitium verò ipsius penes Vicarium.

62 Capitulum Sede vacante, ejusque Vicarius, potest à sententia excommunicationis absolvere, quos poterat Episcopus &c.

63 Potest etiam ferre censuras.

Atque excommunicationem promulgare ad finem revelandi bona deperdita &c. Ibid.

64 Potestque absolvere à casibus Episcopo reservatis.

65 Et confirmare electiones Abbatum &c. atque præsentatos in Beneficiis instituire.

66 Imò & quasdam salutares Constitutiones facere.

67 Potest quoque visitare Diocesis, sicque recipere procuraciones.

68 Imò & de delictis extra visitationem contra certas personas inquirere.

69 Vicarius Capitularis potest infinita, quæ non potest Vicarius Episcopi; & cur?

70 Capitulum Sede vacante potest assistere matrimonio celebrando.

Potestque cognoscere causas administratores. Ibid.

71 Item exigere rationem ad Administratores locorum piorum &c.

72 In Capitulum Sede vacante transeunt illa, quæ sunt Ordinis Episcopalis; & quomodo?

73 Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in potestate concedendi Litteras Dimissoriales ad Ordines infra annum, demptis articulis.

74 Neque in potestate deducendi jure Episcopi in judicium, etiam defendendo.

75 Neque in potestate supprimendi Præbendas, vel uniendi Beneficia, ob tenuitatem reddituum Ecclesiarum Cathedralium &c.

- 76 Nec concedit Litteras Commendarias, seu Formas, quibus Clericus absolvitur a potestate sui Episcopi &c.
- 77 Neque succedat Episcopo in eius jurisdictione accidentale.
- 78 Casus de quibus dubitatur, an competat Capitulo Sede vacante, sunt plures. Remissive.
- 79 An Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in dandis indulgentiis?
- 80 Opposita quorundam sententia allegatur.

42 **Q**uæritur I. An Capitulum Sede vacante succedat Episcopo mortuo in illis, quæ huic jure speciali competebant? Resp. I. Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo defuncto in jurisdictione, seu potestate eorum, quæ huic non jure ordinario, sed duntaxat jure speciali, puta ex privilegio, commissione, seu ut Sedis Apostolicæ Delegato competebant. Ita Abbas c. Cum olim. n. 2. vers. Quinto dubitatur, & Felinus ibid. num. 5. de Majori. & obed. Rebuffus in Praxi. tit. de Devolution. num. 68. Card. Tuschus Litt. C. Concl. 56. num. 5. Fagnanus c. His que. num. 43. & 46. & 54. de Majori. & obed. Engel. h. t. num. 1. vers. Receptior. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 7. num. 38. & seqq. citans alios. Ratio est: ut post quia privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona, ut loquitur Reg. 7. Jur. in 6. cum concordantibus. Tum quia in illis, quæ competunt Episcopo, non ut Episcopo, & capiti Capitulo, sed jure duntaxat speciali, sive accidentali (puta, ex speciali privilegio, seu commissione) cessat ratio communionis, quæ ceteroquin est inter Episcopum veluti caput, & Capitulum veluti membra ejusdem corporis, c. Novit. 4. De his, que sunt à Prælati &c. Undè non mirum, quòd in talibus, atque Episcopo jure duntaxat speciali & accidentali competentibus, non succedat Capitulum Sede vacante: quin potius subintret dispositio Juris communis, quæ habetur l. in omnibus causis id observatur; ut ibi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eà beneficium quoque deficiat.

43 Sic ubi Episcopo competit potestas, v. g. doctorandi, ex privilegio speciali, ea non transit ad Capitulum Sede vacante: sed, si jure communi, & tanquam Episcopo, eidem competitisset. Abbas c. Cum olim. num. 2. vers. Quinto decimo. Rebuffus, ubi supra, n. 69. subjungens, quòd in dubio videatur ejusmodi potestas competere Episcopo ut Episcopo; sicque ad Capitulum Sede vacante transibit.

44 Similiter, quòd in jurisdictione Episcopo delegata non succedat Capitulum Sede vacante, desumitur ex c. Pastor. alis. II. §. Præterea. de Offic. Judic. ordinari. ubi excommunicatus à Delegato Papæ, eoque mortuo, non potest sine mandato Summi Pontificis (extra mortis articulum) per alium, puta, per Capitulum Sede vacante absolvi; nisi forsitan ipse defuncto succedat in onere, & honore. Et additur hujus ratio ibidem: Quia Delegatus, quantum ad id, est major Ordinario. Atque ita tenet Abbas c. Cum olim. n. 2. §. Quinto, istud confirmans aliâ ratione proximè jam adductâ: Quia videlicet in his, quæ competunt Episcopo jure speciali, ut delegata, cessat communicatio, quæ est inter ipsum, & Capitulum; sicque iudicium eidem mortuo non succedit. Id ipsum tenet Rota Decis. 6. de Offic. Delegat. in antiq. Garcias d. cap. 7. num. 42. & 43. citans complures alios.

45 Atque istud ampliatur, etiam si delegatio fiat à Canone, sive Episcopo quidpiam competat ex generali delegatione Sedis Apostolicæ. Quia, licet

tunc detur jurisdictione à Jure communi, tamen non competit Episcopo ut sic, seu ex jurisdictione ordinaria; sed solum ex delegata, atque specialiter inducta, & secundum quom Delegatus est major Ordinario. Garcias loc. cit. num. 44. post Rotam, & Abbatem, ubi supra, pluresque alios. Fagnanus c. His que. num. 54. de Majori, &c. evans plures alios; quamvis nonnulli contradicant.

Inferitur proinde cum eodem Fagnano loc. cit. n. 45. quòd potestas à Concilio Tridentino Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis attributa, non transeat in Capitulum Sede vacante. Inferunt similiter Doctores, quòd Capitulum Sede vacante non possit visitare Monasteria Monialium exempta, bene tamen non exempta: nam horum visitatio annua competit Episcopis Ordinariâ autoritate, in qua succedit Capitulum Sede vacante: illorum autem visitatio competit Episcopis autoritate solum Apostolicâ, juxta textum apertum in Clem. 2. §. Hoc igitur. de Statu Monachor. sicque Capitulum Sede vacante non succedit.

Secus foret dicendum, quando aliquid delegatur Episcopo sub clausula, Etiam tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ. Tunc enim dictio Etiam, quæ est augmentativa, & implicativa præcedentium, præter jurisdictionem delegatam simul implicat, & involvit jurisdictionem ordinariam; ut post Fagnanum c. Ad audientiam. n. 54. de Eccles. edific. & Barbolam part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 92. nu. 11. & alios, jam dictum est supra Lib. I. Tit. 29. De Offic. & potest. Judic. Deleg. §. 2. n. 37. Ac proinde Capitulum in tali casu succederet Episcopo mortuo, saltem quoad jurisdictionem & potestatem ordinariam ipsius, licet non quoad delegatam. Fagnanus cit. c. His que. n. 56. de Majori. & obed. allerens, ita censuisse Sacram Congregationem, loquendo de facultate à Concilio Tridentino Sess. 21. cap. 7. de Reform. attributa Episcopis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis, transferendi Beneficia simplicia Ecclesiarum vetustate collapsarum: nam facultas hæc transit in Capitulum Capitularem Sede vacante.

Quin imò & in aliis casibus tanta potest urgere necessitas, ut præter privilegium speciale Episcopi, aut ejus jurisdictionem delegatam, subintret ordinaria: nam in casu magnæ necessitatis, periculi in mora, juncto difficili accessu ad Papam, posse Episcopum dispensare circa Sacros Canones, jam dictum est Lib. I. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 18. n. 470. Tunc etenim succederet Capitulum Sede vacante quoad potestatem illam, quæ jure ordinario competit Episcopo in casu magnæ necessitatis, v. g. dispensandi. Garcias cit. cap. 7. n. 46. in fin. Barbola d. allegat. 92. n. 17. ac rursus dicitur n. 55. Unde pro majori horum intelligentia,

Quæritur II. Utrum, & quando Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in potestate dispensandi? Resp. I. In omnibus illis casibus, in quibus Episcopus potest dispensare jure ordinario, seu ratione jurisdictionis Episcopalis, potest etiam dispensare Capitulum Sede vacante, atque constituitur pro istud Vicarius Capitalaris. Ita Abbas c. At si Clerici. §. De adulteris. n. 17. & Felinus ibid. n. 13. vers. Utrum Capitulum. de Judiciis. Alexand. Sperellus Decis. 111. Fori Ecclesiast. n. 38. Federicus de Senis Consil. 30. An Capitulum &c. per totum. Barbola part. 2. de Offic. & potest. Episc. allegat. 36. n. 5. & 10. & allegat. 45. n. 26. & de Canonie. & Dignit. cap. 42. n. 82. Summa Angelica §. Capitulum. n. 1. Card. Tuschus Litt. C. Concl. 56. n. 43. Joan. de Selva de Benefic. part. 2. quæst. 11. num. 4. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 7. numer. 4. Flamin. Marchettus in Praxi Vicarii Capitul. part. 2. tit. 14. num. 1. & 2. ac seqq. cum plu-

pluribus aliis; & concordant dicta superius Lib. I. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 18. n. 476. Ratio est. Tum quia dispensatio dependet à jurisdictione; ergo, cum Capitulum succedat in jurisdictione Episcopali, pariter succedit in potestate dispensandi, quæ jure ordinario competit Episcopo. Tum quia non raro expediens est, imò & quodammodo necessarium, dispensare cum subditis, arg. can. Ut constitueretur. jura Glossa v. Detrahendum. & can. Domino sancto. dist. 50. ubi Glossa vers. Necessè est, infert, dispensationem quandoque esse debitam: puta, quando ita exigit bonum commune, vel subest alia gravis, & justa causa dispensandi. Atqui huic expedientia, imò & debito, commode satisfieri non posset, nisi in Capitulum Sede vacante transferret ordinaria potestas Episcopalis dispensandi; ergò.

Inferitur proinde, quòd Capitulum Sede vacante, atque Vicarius Capitalaris ipsius, possit dispensare in Denunciationibus matrimonio præmittendis, accedente tamen rationabili causâ. Idque contingit vigore Concilii Tridentini Sess. cap. 1. de Reform. Matrim. hujusmodi dispensationem remittentis arbitrio Ordinarii, qualis etiam est Vicarius Capitalaris: & quia dispensationes Episcopo permittæ à Jure communi, etiam Capitulo Sede vacante, ipsiusque Vicario sunt concessæ. Flamin. Marchettus part. 2. Praxi Vicar. Capitul. tit. 19. n. 6. & seqq. cum aliis.

Potest etiam Capitulum Sede vacante, & constituitur per illud vicarius Capitalaris, dispensare in Interditis ad Ordines: intelligendo istud in casibus, in quibus potest dare licentiam suscipiendi Ordines; ut puta, si quis sit arctatus. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 7. n. 92. allegans Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Marchettus, ubi supra, tit. 14. n. 17. & seqq. & alii.

Insuper potestas dispensandi in votis, & juramentis, quæ de Jure communi competit Episcopo, subsistente rationabili causâ, transit in Capitulum Sede vacante. Barbola c. Illa. n. 9. h. t. & cap. 42. de Canonie. n. 81. Zerola part. 2. Praxi Episcop. v. Capitulum. §. Tertio. Marchettus cit. tit. num. 3. & 4. allegans alios. Siquidem hæc potestas spectato Jure communi competit Episcopo, cap. 1. de filiis Presbyt. in 6. sicque Sede vacante transit ad Capitulum, utpote succedens in jurisdictione ordinaria Episcopi.

Rursus Capitulum Sede vacante potest dispensare cum illegitimis ad minores Ordines, & ad Beneficium simplex obtinendum. Naverus Consil. 28. de Tempor. Ordinari. Barbola c. Illa. n. 9. h. t. & cap. 42. de Canonie. n. 81. Zerola part. 2. Praxi Episcop. v. Capitulum. §. Tertio. Marchettus cit. tit. num. 3. & 4. allegans alios. Siquidem hæc potestas spectato Jure communi competit Episcopo, cap. 1. de filiis Presbyt. in 6. sicque Sede vacante transit ad Capitulum, utpote succedens in jurisdictione ordinaria Episcopi.

Uterius Capitulum Sede vacante, ac Vicarius Capitalaris ipsius, potest in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentiosum, dispensare. Idque virtute Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 6. de Reform. relatis verbis hæc potestatem concedentis Episcopis, quæ proinde, ac utpote competens Episcopis tanquam Episcopis, ac jure ordinario, transit ad Capitulum Sede vacante; eò quòd succedat in jurisdictione ordinaria Episcopi. Ita Barbola cit. cap. 42. de Canonie. n. 82. & lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 32. n. 72. allerens, quòd, Vicarium Capitalarem Sede vacante posse absolvere à Casibus Sess. 24. de Reform. cap. 6. censuerit Sac. Congregatio Concilii, sub die 3.

Decemb. 1622. Eandem sententiam tenet Sperellus cit. Decis. 111. numer. 41. Sanchez de Morim. lib. 8. disp. 2. num. 10. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 7. num. 41. Flamin. Marchettus in Praxi Vicar. Capitul. cit. part. 2. tit. 14. num. 9. pluresque alii ab his allegati; & concordant proximè dicenda numer. 57.

His accedit casus magnæ necessitatis, vel evidenti utilitatis de novo emergens, estque periculum in mora, neque facile potest haberi recursus ad Papam: nam, quòd tunc Episcopus possit dispensare ex rationabiliter præsumpta Summi Pontificis voluntate, adeoque etiam Capitulum Sede vacante, ne aliquin Oves curæ ipsorum concedatur necessariis spiritualibus auxiliis destituerentur; præter ea, quæ n. 48. habentur, ex professo dictum est supra Lib. I. Tit. 2. de Constitutionibus. §. 18. n. 470. & seqq. usque ad n. 475. ubi & nonnulli alii tales casus referuntur. Tacentur cæteri, de quibus Ant. Flamin. Marchettus in Praxi Vicarii Capitalaris per totum, alique supra citati.

Resp. II. Præmissis tamen haud obstantibus, Capitulum non succedit Episcopo in facultate dispensandi quoad ea, circa quæ Episcopus defunctus potuit solum dispensare ex speciali privilegio, vel delegatione, seu commissione particulari: ac proinde speciales facultates dispensandi in certis casibus, à Summo Pontifice quibusdam Episcopis concessæ, neutiquam transeunt ad Capitulum Sede vacante. Ita Abbas c. Verum. n. 9. & 10. & seqq. de Foro. Compet. Sperellus cit. Decis. 111. n. 43. Card. Tuschus Litt. C. concl. 56. n. 5. alique passim. Siquidem privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona; juxta Reg. 7. Jur. in 6. junctis dictis supra n. 42. & seqq.

Dices. Potestas dispensandi in irregularitatibus occultis, juxta Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 6. de Reform. competit Episcopis jure speciali: nam Concilium loc. cit. istud specialiter Episcopis concedit, dicendo: Licet Episcopis in irregularitatibus – dispensare; ergo non competit Capitulum Sede vacante, contra dicta n. 54. Resp. cum Sperello, ubi supra, n. 43. & aliis, datam Conclusionem esse intelligendam de jure speciali delegato, seu de jure Episcopo competente ex commissione sibi directâ, sicque de jure quopiam accidentali: qualis solet esse potestas dispensandi in certis casibus, per Papam concessa nonnullis Episcopis ad quinquennium. Secus dicendum de jure quopiam ordinario, atque Episcopis tanquam Episcopis specialiter quidem, sed de jure communi concessio: talis enim censetur ipsis esse jurisdictione ordinaria, utpote à Jure communi concessa, in qua proinde succedit Capitulum; cum propter communionem, quæ inter ipsos intercedit, c. Novit. 4. De his que sunt à Prælati &c. succeda Episcopo Sede vacante in jurisdictione ordinaria præter casus specialiter exceptos.

Neque urget Clem. 2. §. Hoc igitur. de Statu Monachor. ubi Episcopo Jure communi tribuitur potestas singulis annis visitandi Monasteria Monialium: & quidem exempta, Apostolicâ; non exempta verò, ordinariâ auctoritate: & tamen hæc potestas non transit ad Capitulum Sede vacante. Resp. enim, ad hanc instantiam patere responsum tum ex relato textu illius Clementine, tum ex dictis supra n. 46. Ibi quippe jam dictum est, quòd Capitulum Sede vacante succedat in potestate visitandi Monasteria Monialium non exempta; eò quòd horum visitatio competat Episcopo auctoritate ordinaria, quæ ipso mortuo transit ad Capitulum. Cur autem pariter non succedat Capitulum Sede vacante in potestate visitandi Monasteria exempta, ratio clara est: quia nimirum hæc potestas convenit Episcopo duntaxat

taxat speciali auctoritate Apostolica, in qua nequam succedit Capitulum Sede vacante: si que per hanc instantiam non infringitur, sed potius confirmatur gemina Conclusio proxime data.

59 Quæritur III. In quibus aliis casibus Capitulum Sede vacante succedat, vel non succedat in Episcopali jurisdictione? Resp. I. Generatim loquendo, circa propositam Quæstionem distinguendæ sunt tres species casuum: sunt enim aliqui, quos certum est posse Capitulum Sede vacante; quidam sunt, quos certum est, non posse; & nonnulli, de quibus dubitatur. Ita Jo. Andreas cap. un. n. 1. de Majoritat. & obed. in 6. Quod ipsum facile patebit inductione, adducendo in specie complures tales casus. Unde

60 Resp. II. Loquendo de prima specie hujusmodi casuum, certum imprimis est, quod Capitulum Sede vacante possit, imò de facto etiam debeat, constituere Vicarium in spiritualibus, & in temporalibus *Oeconomum unum, vel plures fideles, & diligentes, qui rerum Ecclesiasticarum & preventium curam gerant; quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri:* prout loquitur, imò & præcipit, Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 16. de Reform. atque loquendo de Vicario Generali in spiritualibus, ex professo dictum fuit supra Lib. I. Tit. 28. §. 3. num. 70. & seqq.

61 Ubi pariter notandum est conformiter dictis supra cit. Tit. 28. num. 72. & III. quod potestas Capituli Sede vacante hæcenus explicata, principaliter quidem resideat penes Capitulum; nihilo minus exercitium ejus, Jure sic disponente, existit penes Vicarium Capitularem, hoc est, ab eodem Capitulo deputatum. Et additur, *deputatum:* nam ante hujus deputationem, quæ debet fieri infra octo dies post mortem Episcopi, administratio jurisdictionis residet penes totum Capitulum; prout cit. Lib. I. Tit. 28. num. 111. juncto Tit. 11. De Temporib. Ordinationum, §. 5. n. 125. jam dictum fuit.

Deinde conveniunt Doctores, quod Capitulum Sede vacante, siue constitutus ab eo Vicarius Capitularis, possit à sententia excommunicationis à Jure, vel ab homine latæ, absolvere eos, quos jure ordinario poterat absolvere Episcopus: nisi à Sede Apostolica ipsa fuerit Capitulo interdictum. Textus est expressus in cap. un. de Majoritat. & obed. in 6. Ubi Glossa v. Juris, istud intelligit de quacunque excommunicatione Papæ non reservata: atque, v. *Hominis*, hoc ipsum sentit de excommunicatione lata per Episcopum mortuum, aut ejus Vicarium, vel Delegatum. Et quod hic dicitur excommunicatione, pariter intelligendum est, & quidem à fortiori, de aliis Censuris: dummodo absolutio deest servatis de jure servandis, ac præsertim præstita satisfactione parti læsæ.

Ampliat hoc ipsum ad potestatem ferendi Censuras. Licet enim in cit. cap. un. de Majoritat. & obed. sola fiat mentio de potestate absolvendi, idem tamen de potestate ferendi Censuras, passim intelligunt Interpretes, arg. can. Verbum. de penit. dist. 1. ibi: *Dominus per jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit.* Id ipsum aperte habetur c. Ad abolendam. §. 1. de Heretic. ac notat Glossa c. His que v. Pro bono pacis de Majoritat. & obed. generaliter asserens, quod Capitulum Sede vacante possit judicare, absolvere, excommunicare. Fagnanus eod. c. His que n. 49. asserens, ita tenere omnes; dummodo excipiatur anathematizatio, seu solemniter excommunicatio, de qua can. debent. 11. q. 3. Federicus de Senis. Consil. 40. à princip. Card. Tuschus Lit. C. Concl. 56. n. 23. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 96. num. 10. rationem

reddens: quia ad Capitulum Sede vacante transeunt omnia, quæ sunt jurisdictionis necessaræ: ut est potestas excommunicationis promulgandæ. Engel h. t. num. 9. Ant. Flamin. Marchettus in Praxi Vicarii Capitularis. part. 2. tit. 22. num. 1. & seqq. citans plures alios; ac num. 6. & 7. cum aliis subjungens, quod Vicarius Capitularis procul dubio possit excommunicationem promulgare ad finem revelandi bona deperdita, vel scripturas, aut similia, nec non ad restitutiones faciendas, ut animæ exant à peccato.

Insuper certum est, quod Capitulum Sede vacante, seu deputatus ab ipso Vicarius Capitularis, possit absolvere à casibus Episcopo reservatis. Istud enim pertinet ad jurisdictionem ordinariam, & necessariam Episcopi; ne alioquin ex defectu Superioris potestatem absolvendi habentis, periculum immineret salutis animarum. Atque ob eandem rationem idem capitulum potest instituire Concellarium, qui à Casibus Episcopo reservatis absolvat. Abbas c. His que n. 3. de Majoritat. & obed. Barbosa c. Illa. n. 17. h. t. Card. Tuschus Lit. C. Concl. 56. n. 26. & 27. & communis.

Rursus passim tenent Doctores, quod Capitulum Sede vacante possit confirmare electiones Abbatum, & aliorum jurisdictioni Episcopi defuncti subjeutorum, per textum in c. Cum olim. 14. de Majoritat. & obed. Idemque præsentatos, atque per examen idoneos repertos in Beneficiis instituire, cap. 1. de Instituit. in 6. etique ex professo declaratum supra Tit. 5. De præbendis. §. 7. n. 189. & 190.

Item concedunt, quod Capitulum Sede vacante possit facere quosdam salutare Constitutiones, ad correctionem criminum, morumque reformationem, ac bonum statum Ecclesiæ pertinentes, quæ obligent totam Diocesim, durentque in tempus futuri Episcopi, donec revocentur: etique ex professo dictum supra Lib. I. Tit. 2. §. 4. num. 89. & seqq. Ubi etiam num. 92. subjungitur, Capitulum Sede vacante posse ex rationabili, gravique causâ, tollere Constitutiones ab Antecessoribus Episcopis latas. Non tamen potest Capitulum Sede vacante facere statutum, vel certas Capitulationes in præjudicium Ecclesiæ, aut juris Episcopalis, etiam si accesserit juramentum Canonicorum super harum observantia, c. Sicut nostris. 27. de Jurejurando. etique ex professo dictum supra Lib. 2. Tit. 24. de Jurejurando. §. 3. n. 81. 82. & seqq.

Potest quoque Capitulum Sede vacante, seu potius Vicarius Capitularis ipsius visitare Diocesim, atque idcirco recipere procuraciones, seu victualia sibi, suisque pro tempore necessaria. Fagnanus c. His que. num. 50. de Majoritat. & obed. post Rotam in una Burgens. Procuracionis. 10. Martii. 1597. coram Orano. Barbosa c. Illa. num. 16. h. t. Flamin. Marchettus in Praxi Vicar. Capitular. part. 2. tit. 18. num. 1. & 2. ac n. 19. & seqq. citans alios; atque istud inter alia intelligens, dummodo lapsus sit annus à postrema visitatione Ammissis, nec in proximo Ecclesia sit de Pastore providenda.

Quin imò potest etiam de delictis extra visitationem contra certas personas inquirere. Fagnanus loc. cit. num. 51. post Rotam in Burgens. Jurisdictionis. 22. Junii 1611. coram Card. Cavalerio; & etiam ejusdem Rotæ Decisionem 166. n. 2. part. 3. Recent. Federicus de Senis Consil. 16. num. 1. asserens, quod in puniendo crimina & excessus, & mores reformando, Capitulum id possit Sede vacante, quod potest Episcopus. Concordat Glossa in Clem. 1. v. Capituli. de Heretic. addita illa notabili ratione: quia aliis tempore vacationis remaneret crimina incorrepta.

Nec obstat, quod Vicarius Generalis Episcopi 69 vivens-

vivens, ex vi generalis commissionis sibi factæ, non possit inquirere, corrigere, aut punire subditorum excessus, text. clar. c. Licet. 2. de Offic. Vicar. in 6. Resp. enim, disparitatem esse: quia Capitulum Sede vacante non dicitur proprie Vicarius, aut Procurator Episcopi defuncti, sed Successor ipsius; habetque ordinariam jurisdictionem à Lege, & sine ministerio hominis sibi delatam: unde potest infinita, quæ non potest Vicarius Episcopi; prout notat Federicus de Senis Consil. 30. circa med. Ubi circa finem subjungit, quod Capitulum, in quantum succedit Episcopo, non sit inferius ipso: uti patet ex eo, quia juribus Episcopi utitur, atque absolvit excommunicatos ab Episcopo, juxta dicta num. 62. Inferior quippe hujusmodi excommunicatos absolvere non possit, can. Inferior. dist. 21. cum similibus.

70 Uterius certum est, quod Capitulum Sede vacante possit assistere matrimonio celebrando, juxta formam Concilii Trident. Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrimo. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 28. nu. 5. Barbosa c. Illa. n. 20. h. t. Potest etiam cognoscere causas matrimoniales. Covarruvias part. 2. de Matrimonio. cap. 8. §. 12. n. 2. citans Franciscum Pavium in tract. De potestate Capituli Sede vacante part. 1. q. 10. Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 32. n. 102. allegans alios. Ubi etiam ait, quod Concilium Trident. Sess. 24. cap. 20. de Reform. faciens, quod causæ matrimoniales Episcopi tantum examini, & jurisdictioni relinquuntur: solummodo excludat Prælatos inferiores, non vero Capitulum Sede vacante; eò quod non sit inferius Episcopo, sed par ipsi.

71 Potest ulterius Capitulum Sede vacante exigere rationem ab Administratores Locorum piorum. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 75. num. 61. & d. c. Illa. num. 21. h. t. citans alios. Insuper Capitulum Sede vacante succedit in Episcopali jurisdictione compellendi Executores testamentarios, arg. c. Joannes. 19. & notat Jo. Andreas ibid. num. 9. & Abbas n. 2. not. 5. & Fagnanus num. 8. de Testamentis. Atque, ut taceantur plura similia, de quibus alii.

72 Tandem in Capitulum Sede vacante transeunt illa, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut, conferre Ordines, Christina consecrare, Basilicas consecrare, & hujusmodi. Non quidem, ut hæc per se ipsum exerceat (nam ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, nequeunt exerceri per Clericum non Episcopum, c. Quanto. 4. de Consuetud.) sed ut illa exerceat per alium Episcopum, quem ad ejusmodi actus Episcopales invitabit, cum cautela tamen; nempe cum protestatione, quod per hoc nihil juris illi Episcopo acquiratur respectu Ecclesiæ vacantis. Glossa fin. c. His qui. & Abbas ibid. num. 3. Hostiensis nu. 4. & Joan. Andreas num. 10. & Fagnanus num. 64. & seqq. de Majoritat. & obed. Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 32. num. 113. Idque probatur ex can. Pontifices. 7. q. 1. junctâ Glossâ vers. Cum cautela. & c. Cum nullus. §. Episcopo. de Temporib. Ordinar. in 6. ubi Capitulum Sede vacante potest dare licentiam ordinandi.

73 Resp. II. Inter casus, quos certum est Capitulum Sede vacante non competere, præter prohibitionem alienationem bonorum Episcopaliū, & collationem Beneficiorum ad collationem solius Episcopi pertinentium &c. de quibus jam dictum: cum primis Capitulum Sede vacante non amplius succedit Episcopo in potestate concedendi Litteras dimissorias ad Ordines infra annum à die vacationis, nisi illis, qui actati fuerint; juxta novissimum Decretum Concilii Tridentini Sess. 7. cap. 10. de Reform. etique amplius explicatum supra Lib. 1. Tit. 11. De Temporib. Ordinationum. &c. §. 5.

numer. 120. & seqq.

Deinde Capitulum Sede vacante non succedit 74 in potestate deducendi jura Episcopi in iudicium, etiam defendendo. Abbas c. Novit. n. 4. & Fagnanus ibid. n. 22. h. t. Nam tempus Sedis vacantis non est conveniens ad aliquid agendum; vel tradendum super statu Ecclesiæ, seu Episcopi, cit. c. Novit. t. h. t. ibi: *Attendentes igitur, quod Episcopali Sede Vacante non debet aliquid innovari: cum non sit qui Episcopale jus tueatur:* & concordant dicta superius n. 15. & 16.

Tertio, Capitulum Sede vacante non succedit 75 in potestate supprimendi Præbendas, vel uniendo Beneficia, quæ ob tenuitatem reddituum Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiarum insignium, competit Episcopo in vim Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 15. de Reform. Siquidem hæc facultatem concessit Concilium Tridentinum duntaxat Episcopis cum consensu Capituli: unde id non potest solum Capitulum; præsertim, cum talis suppressio Præbendarum sapiat quandam alienationem, atque inducat diminutionem cultus Divini. Azorius part. 2. lib. 3. cap. 38. quest. 9. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 67. n. 3. & lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 32. n. 112. citans alios.

Insuper Capitulum Sede vacante non concedit 76 Litteras commendatitias, seu Formatas, quibus Clericus absolvitur à potestate sui Episcopi, ac perhibetur testimonium de vita, & Ordinibus ipsius, arg. c. Fraternalitati. 5. de Cleric. non resident. & notat Jo. Andreas ibid. n. 1. addita illa ratione: Quia est quædam alienatio, can. Fraternalitati. dist. 71. Fagnanus c. Significasti. numer. 3. de Offic. Archidiacon. Card. Tuschus Lit. C. Concl. 57. num. 36. asserens, quod Capitulum Sede vacante non possit Clerico dare licentiam transeundi ad aliam Ecclesiam, quia est alienatio.

Rursus Capitulum non succedit Episcopo in e- 77 jus jurisdictione accidentali, sed solum in ordinaria. Card. Tuschus Lit. C. Concl. 56. nu. 47. & 48. post Romanum Consil. 506. in fin. Baldus c. Ne pro defectu. nu. 7. de Election. iud. probans ex cap. 1. Ne Sede vacante &c. in 6. & concordant dicta superius num. 42.

Resp. III. Loquendo de tertia specie casuum, 78 nempe eorum, de quibus dubitatur, an competant Capitulo Sede vacante, plures horum referuntur à Jo. Andrea in cap. un. n. 2. de Majoritat. & obed. in 6. & Abbate c. Cum olim. num. 2. eod. quindecim tales casus adducente, atque resolvente. Verum de plerisque eorum hæcenus jam dictum est: unde breviter solum.

Quæritur IV. An Capitulum Sede vacante suc- 79 cedat Episcopo in dandis Indulgentiis? Puta, concedendo Indulgentias centum annorum in dedicatione Ecclesiarum, vel Indulgentias quadraginta dierum in Anniversario Dedicationis, & aliis de causis, juxta c. Cum ex. co. 14. de Penitent. & remission. & cap. ult. junctâ Glossâ vers. casibus eod. in 6. Resp. in resolutione hujus Quæstionis variare Doctores. Et quidem affirmativam sententiam, veluti probabiliorē, tenent Abbas c. Cum olim. n. 2. §. Tertio decimo de Majoritat. & obed. & Azorius part. 2. lib. 3. cap. 37. quest. 9. citans plures alios: ac sequitur Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 88. n. 21. & lib. 1. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 32. num. 91. allegans Doctores in c. Accedentibus. de Excessib. Prælat. Sylvester vers. Capitulum. quest. 10. Garcias part. 1. Prævis Episcop. vers. Indulgentia. nu. 2. Ant. Flamin. Marchettus part. 2. Praxis Vicar. Capituli. cap. 24. numer. 3. allegans alios. Rationem dant: quia concedere Indulgentias, non est actus Ordinis Episcopalis, sed jurisdictionis: ut inquit

inquit D. Thomas in 4. dist. 20. quest. 3. art. 3. Atque Capitulum succedit Episcopo in jurisdictione, non solum contentiosa, sed etiam voluntaria, saltem, quæ nulli præjudicat, neque casus reperitur in Jure exceptus.

80 Oppositam sententiam tenet Jo. Andreas c. Accedentibus. num. 2. de Excessib. Prælat. Fagnanus c. Illa. num. 14. h. t. citans plures alios, & asserens, hanc opinionem communiter teneri. Ratio esse potest: quia Capitulum Sede vacante non succedit in his, quæ sapientiam gratiam. Glossa cap. 1. vers. Præsentatos. de Institut. in 6. Simulque, quia potestas concedendi Indulgentias, videtur esse jurisdictionis extraordinariæ, atque de illis, quæ sunt refervata Dignitati Episcopali. Saltem totius esse, ut ad effugiendam omnem contradictionem Capitulum Sede vacante istam Indulgentiarum largitionem committat cuiusdam Episcopo, fateretur Barbosa cit. allegat. 88. numer. 21. & Marchettus ubi supra. apud quem plura de potestate Vicarii Capitularis.

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælati sine consensu Capituli.

I Ratio continuationis Rubricarum.

Scuti bonum commune Ecclesiarum exigit, quòd Capitulum Sede vacante omnia pro libitu facere, atque ordinare non possit: ita pariter præfatum bonum commune requirit, ne plenaria, profusque à Capitulo independens in omnibus potestas competat Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælati. Quia igitur Titulo præcedenti actum fuit de iis, quæ potest, vel non potest Capitulum Sede vacante: merito subiungitur præfens Rubrica de potestate Episcoporum, aliorumque Prælatorum, tractandi negotia sive Ecclesiæ cum vel sine consensu sui Capituli. Pro cujus clariori discussione sit

§. I.

De consensu, & consilio Capituli; & quando requiratur ad Acta Prælatorum.

SUMMARIUM.

- 2 Inter Consensum, & Consilium, est longa differentia. Consilium nemo cogitur sequi. Ibid.
- 3 Et cur nihilominus aliquando Prælati cogatur adhibere consilium Capituli?
- 4 Consilium quandoque sumitur pro Consensu.
- 5 Consilium reverentiæ obligat, estque servandum.
- 6 In quibus casibus generatim requiratur consensus Capituli? Et num. seqq.
- 7 Hæc questio procedit non solum de Capitulo Cathedrali respectu Episcopi, sed etiam de Capitulis inferiorum Ecclesiarum, & Monasteriorum respectu proprii Prælati. Ibid.
- 8 Minora negotia potest Episcopus, seu Prælati sine consilio, vel saltem sine consensu Capituli peragere: non verò majora.
- 9 Secus à speciali locorum consuetudine.
- 10 Istud amplius probatur. Etenim. seqq.
- 11 Consilium Capituli Superior sequi non cogitur.

quæ fiunt à Prælati &c.

- Ibid. & num. 2.
- 10 Bene tamen adhibere, ubi id de jure requiritur: & quidem sub nullitate actus. Et num. 3.
- 11 Ubi requiritur consensus Capituli, non sufficit consilium adhibere.
- 12 Generatim requiritur consensus Capituli in omnibus illis, in quibus vertitur Ecclesiæ, vel Capituli interesse, & vel præjudicium.
- 13 In quibus casibus in specie requiratur consensus Capituli? & num. seqq.
- Hic non requiritur, quando Episcopus procedit ut Delegatus Sedis Apostolicæ. Ibid.
- 14 Consensus Capituli requiritur in alienatione rerum ad Ecclesiam, vel Capitulum pertinentium &c.
- 15 Item, quando agitur de subjectione Capituli.
- 16 Et quoad obligationem Ecclesiæ, v. g. ex Deposito, Fidejussione &c.
- 17 Item, quando Collatio Beneficiorum communiter spectat ad Episcopum & Capitulum.
- 18 Quod ampliat ad alia, quæ spectant ad Episcopum & Capitulum simul.
- 19 Consensus Capituli requiritur in suppressione Canoniciatum, & unione Beneficiorum, propter tenuitatem Præbendarum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus.
- 20 Item in unione Beneficiorum ex aliis causis.
- 21 Istud locum non habet in unione cuiuspiam Ecclesiæ facta Menſe Episcopali, aut ipsi Capitulo: quia tunc requiritur auctoritas Pape.
- 22 Solvitur Instantia.
- 23 Spectato Jure communi, requiritur consensus Capituli in inquirendis, puniendisque excessibus subditorum.
- Et quid loquendo de consuetudine? Ibid. & numer. 26.
- 24 Qualiter requiratur consensus Capituli in ventilatione causarum criminalium contra personas in Dignitate Ecclesiastica constitutas?
- 25 Consensus Capituli requiritur generaliter in omnibus casibus, in quibus alicubi viget consuetudo eundem adhibendi.
- 26 Valet Consuetudo, in præmissis casibus non requirendi consensum Capituli.
- 27 Eaque passim introductum est, ut in plerisque casibus Episcopi sine consilio, vel consensu Capituli procedere valeant.
- 28 Solvitur instantia ex c. Novit. h. t. desumpta.
- 29 Quenam negotia per Episcopum expediri debeant cum consilio Capituli? Et num. seqq.
- Spectato Jure communi, Episcopus non nisi cum consilio Capituli in Beneficiis instituire, vel destituere debet Abbates, Abbatissas, aliisque personas Ecclesiasticas. Ibid.
- 30 Atque olim in Ordinatione Clericorum tenebatur adhibere consilium Capituli: secus de facto.
- 31 Episcopus de Capituli consilio debet providere, ut habeatur lectio Sacre Scripturæ, doceaturque Grammatica &c.
- 32 Potest Episcopus convocare Capitulum, eique aliquid ad deliberandum proponere &c. Et num. seqq.
- 33 & 34. Et quid, si de re ad Episcopum, vel suorum commodum spectante agatur?

Quæritur I. In quo differat Consensus à Consilio? Resp. I. Inter Consensum, & Consilium, longa est differentia, ut loquitur Abbas cap. 1. num. 5. h. t. Hostiensis in Summa. eod. n. 2. vers. Sed quest. differentia. Pirhing h. t. n. 18. & Engel num. 1. eod. cum aliis. Nam Consensus idem est ac duorum, vel plurium sensus in idem, juxta textum

in caus. 29. q. 1. §. 2. Unde, quando requiritur consensus Capituli, tenetur Prælati sequi id, quod major & sanior pars Capitalium concluderit: alioquin nulliter agit, c. 1. ac seqq. h. t. Si autem tantummodo requiratur consilium Capituli, sola consultatio cum Capitalibus capitaliter congregatis facta sufficit, absque eo, quòd Prælati eorum opinionem sequi teneatur: prout est casus notabilis in c. Cum olim. 7. junctâ Glossâ vers. sive discordet. de Arbitris. Siquidem nullus cogitur sequi consilium alterius, etiam si illud petere teneatur, arg. cit. c. Cum olim. de Arbitris. & c. Cum in veteri. 52. de Election. ac sæpius responsiâ Sacram Congregationem Concilii, refert Fagnanus c. Cum ex eo. n. 20. de Reliquiis & venerat. Sanctor. Quin imò quilibet apud se ipsum explorare, ac deliberare debet, an illud, quod alius consilii, sibi expedit, nec ne, can. Quisquis. 14. q. 1. & l. 2. ff. Mandati. In quo posteriori loco dicitur: *Liberum est cuique apud se explorare, an expedit sibi consilium.*

3 Nec dieas. Ergo frustra Prælati aliquando cogitur consilium Capituli adhibere, si non tenetur sequi sententiam ipsius. Resp. enim cum Glossâ, c. Cum olim. vers. sive discordet. de Arbitris. & DD. passim, negando sequelam. Quin imò talis prævia consultatio cum Capitulo habita, potest ad multa esse utilis: tum quia hæc ratio, sive ob necessitatem requirendi consilium Capituli, occurrit præcipitantiæ Prælati; cogiturque Prælati melius deliberare negotium, & illud maturius resolvere. Tum quia potest quandoque consilium Capituli movere Prælatum ad aliqd faciendum; quod forsitan per se non fecisset, arg. c. Nicæna. dist. 31. Nam, ut habet illud vulgatum: *Oculi plus vident, quam oculus.* Hinc illud Ecclesiastic. cap. 32. *Cæleste Monitum: Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non penitebis.* Atque idcirco non frustrane Jura in certis casibus flauerunt, quòd Prælati teneatur adhibere consilium Capituli, etiam sub nullitate actus isto non adhibito celebrati: ut c. Cum in veteri. 52. de Election. cum similibus.

4 Resp. II. His tamen non obstantibus Consilium quandoque accipitur pro Consensu, seu autoritate Superioris. Ita Fagnanus c. Admonet. n. 3. citans Butrium ibid. n. 5. & 6. & Cardinalem in 3. Not. de Renunciat. Atque idcirco innuit textus ibidem, utpote prohibens, ne quis Clericorum audeat Ecclesiis dimittere inconsulto Episcopo: nam ly, *inconsulto*, idem importat, ac sine consensu Episcopi; prout explicat Glossâ ibid. vers. *Inconsulto*. Neque enim ad dimittendum Beneficium sufficit consulere Prælatum, sed oportet illius consensum obtinere, can. Episcopus de loco. & can. Si quis Presbyter. 7. q. 1. cum concordantibus. Simile quid habetur in Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 16. de Reform. illis verbis: *Quòd si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicitur.* Nam ly, *inconsulto*, importare defectum consensus Episcopalis, patet ex contextu verborum; ac notat Fagnanus loc. cit. n. 13.

5 Tacetur Consilium reverentiæ: nam quòd istud obliget, ac proinde necessarium sit observandum, patet ex c. Ad aures. junctâ Glossâ fin. de Etate & quali. præsciend. estque jam dictum supra Lib. I. Tit. 2. de Constitutionibus. §. 7. n. 159. & 160.

6 Quæritur II. In quibus casibus, seu negotiis, generatim requiratur consensus Capituli? Hæc questio non solum procedit de Capitulo Cathedrali respectu Episcopi, sed etiam de Capitulo inferiorum Ecclesiarum, imò & Monasteriorum respectu proprii Prælati: nam in illis omnibus reperitur ratio unius corporis mystici, cujus caput est Episcopus, aliisque Prælati, membra verò esse

probantur Canonici, aut (loquendo de Monasteriis) ceteri Religiosi, seu Conventuales, arg. c. Novit. 4. h. t. insuper questio procedit duntaxat de bonis, atque juribus communibus; seu quæ ratione Ecclesiæ, atque unitatis corporis mystici, competunt singulis ut Collegio: nam quòd Episcopus aliusque Prælati capax domini rerum in particulari, liberè disporre possit de bonis suis patrimonialibus, extra controversiam est. Quibus prænotatis

Resp. I. Generatim loquendo, ac secus à speciali locorum consuetudine, minor negotia potest Episcopus, seu alius Prælati sine consilio, vel saltem sine consensu Capituli peragere; majora verò negotia, debet expedire cum consensu, vel saltem cum consilio Capituli: cum consensu quidem, quando is expressè requiritur à Jure: cum consilio verò, quando Jus vel expressè requirit consilium Capituli, vel fallim ipsamet res est gravis & ardua, majorisque momenti. Ita in re communi; & ratio generalis est: quia Capitulum cum Episcopo, vel alio Prælati suo, constituit unum corpus, cujus caput est Episcopus, seu Prælati, Capitulum verò repræsentat membra illius corporis: atque idè in rebus agendis non debent dividi, & separari membra à capite; quia hoc esset monstrum: Eadem Consilio probatur quoad singula. Nam

Dicitur imprimis, *Generatim loquendo, ac secus à speciali locorum consuetudine &c.* Siquidem data Conclusio stat loco regulæ, quæ procedit spectato Jure communi, secus à speciali locorum, seu Ecclesiarum consuetudine: nam quòd consuetudo in proposito plurimum valeat, ac proinde in praxi bene sit attendenda, ex professo dicitur infra num. 25. 26. & seqq.

Dicitur secundò sub disjunctione, *minora negotia potest Prælati sine consilio, vel saltem sine consensu Capituli peragere.* Nam in hisce minoribus negotiis consilium Capituli non requiritur, fateretur omnes: eò quòd ipsemet Prælati habet administrationem rerum suarum Ecclesiæ, c. Cum nobis. 19. §. fin. de Election. Sicut & Abbas totam potestatem habet circa cultum Divinum, aliisque res Monasterii sui, can. Nullam. 19. q. 2. Unde consequens est, quòd in minoribus negotiis non requiratur consensus Capituli, sed sufficit adhibere consilium ipsius, quòd tamen superior sequi non cogitur arg. c. Cum olim. 7. de Arbitris. Quin imò in rebus levioribus atque quotidianis, nec opus est consilio Capituli, utpote quòd impossibile foret semper congregare; & alioquin frustra committeretur Prælati administratio rerum Ecclesiasticarum, si in omnibus opus haberent consensus, vel saltem consilio Capituli.

Dicitur tandem in data Conclusionem, *majora verò negotia debet expedire cum consensu, vel saltem cum consilio Capituli, &c.* Illud liquidem patet ex toto hoc titulo, cum concordantibus. Unde quæ præcedenda sunt cum consilio Capituli secundum præscriptum Juris, non obstantem, quòd ejus consilium Prælati sequi non teneatur, tamen si tale consilium is non adhibeat, irrita erunt acta ejus: uti habetur c. Novit. 4. h. t. ibi: *Nos enim tales institutiones, & destitutions (sine consilio Fratrum, seu Capituli factas à Prælati) carere decernimus robore firmitatis.* Idem constat ex c. Quanto. 5. eod. & c. Cum olim. 7. de Arbitris.

Econtra, si quæ agenda sunt cum consensu Capituli, non sufficit duntaxat consilium ipsius adhibere; sed opus est etiam consensu Capituli, vel saltem majoris & sanioris partis ejus. Textus est in cap. 1. & c. Tua nuper. 8. & c. Pastoralis. 9. h. t. & alibi

Resp. II. Generatim requiritur consensus Capituli in omnibus illis casibus, seu negotiis, in quibus vertitur Ecclesiæ, aut ipsius Capituli interesse, sive